Cracovien. Exemptionis

SUPER

Pertinentia Causæ.

1 **Rev. Pater.** QUAMQUAM *contraria Informatio* plena sit acerbitatis, & plena injuriæ in spectatissimum Ordinem nostrum, ejusque Generalem Præpositum; *QUAMQUAM* putet, nos terruisse cum lite, quam parare proxime intendit super figurata Ordinis nostri Suppressione; *QUAMQUAM* nil minus sperari possit à Cyrillo Zuchovvski, qui unus est tantarum contentionum simul cum Domino Auditore Curiæ Cracoviensis instigator, atque director, quique non abs rè principem tenet locum in proœmio ipso *contrariæ Informationis*, attamen suis cum diverticulis nil proficiunt, nilque obtinent Contradictores nostri quoad prætensionem avocandi Causam Exemptionis à Tribunali A. C.; Multa quidem extranea misceri, multa injuriosa fingi, multa studia conjungi possunt, sed fieri ex justitia numquam potest, ut Causa hæc nostra divellatur ab Ordinario Judice A. C., & remittatur ad Sac. Congregationem Concilii: Confidenter itaque expectamus, Reverendissimos PP. contrariæ Commissioni fore responsuros cum Clausula = NIHIL =, vel in omnem casum = AD ROTAM QUOAD OMNES, ET OMNIA =, velut iterum deprecamur humillimè.

2 Equidem sive spectetur *natura Causæ*, sive *legitima præventio*, sive demùm *consensus* exadverso præstitus in Tribunali A. C., semper quisque nobiscum conveniat oportet, Causam Exemptionis haud posse ablegari ad Sacram Congregationem Concilii: Enim vero Causa nostra non alia est, quam *super observatione, & exequutione Privilegiorum Apostolicorum, nec non super manutentione in possessione, seù quasi omnimodæ exemptionis a quavis Jurisdictione Ordinariorum &c.* =, *nostro Summario num.* 27.: Quemadmodum vero Causa hæc valde *contentiosa* valde seriam discussionem, & *judiciarium* requirit *ordinem* mediante jurium, & Privilegiorum productione, ac absolvi decet ope judicialis Decreti, quo definiatur, exequenda esse Privilegia Apostolica, & constare de prærogativa Exemptionis, ita fieri non potest, ut hujus generis Causa tollatur a Judice suo Ordinario, & remittatur ad Sac. Congregationem Concilii, *in qua Ne-*

gocia non aliter quam in forma extrajudiciali cognosci, & definiri debent.

3 Præscribit hoc ipsum diserte nedùm antiqua Sanctio æternæ me. *Sixti V.*, in *Bullar. la* 74., sed etiam moderna Reformatio San. Mem. *Innocentii XII.* in ejus *Bullar. la* 71. = ibi = *Ut debitus Ordo servetur inter Tribunalia Urbis, & opportune provideatur, ne ob Litigantium importunitatem* CAUSÆ TELAM JUDICIARIAM ALIOQUIN REQUIRENTES, DEFERANTUR AD SACRAS CONGREGATIONES, IN QUIBUS NEGOCIA NON ALITER, QUAM IN FORMA EXTRAJUDICIALI COGNOSCI, ET DEFINIRI DEBENT, *Congregatio Particularis a Sanctissimo D. deputata censuit, innovandam Constitutionem* 74. *Sixti V. in ea præsertim parte, qua litteraliter disponitur,* *NON POSSE IN DICTIS CONGREGATIONIBUS COGNOSCI CAUSAS CONTENTIOSAS, seù negocia, formam, & ordinem judiciarium requirentia; Causas autem contentiosas, & Ordinem judiciarium requirentes censuit esse OMNES ILLAS, IN QUIBUS NECESSARIUS EST PROCESSUS JUDICIALIS, aut fieri debent probationes, Parte citata, seù mediante examine Testium in Curia, sive MEDIANTE JURIUM, ET INSTRUMENTORUM PRODUCTIONE, sive expeditione litterarum Compulsorialium, aut INTERPONENDUM FORET ALIQUOD DECRETUM JUDICIALE; SUBLATA idcirco iisdem S. Congregationibus, earumque Præfectis, & Secretariis, omnibusque aliis FACULTATE CAUSAS PRÆDICTAS REASSUMENDI ADVERSUS JUDICES ORDINARIOS, aut quovis alio modo procedendi.*

4 Id quod adeo verum est, ut si aliquando Causa Exemptionis fuerit commissa S. Congregationi, hæc, assumpta Cognitione Causæ, videns multas hinc inde invicem pugnantes *Facti* inspectiones, quæ probationes, & formalem Processum requirerent prò recta Causæ decisione, secundùm normam relatæ Constitutionis se abstinuit à quavis resolutione, Causamque ipsam Exemptionis uti requirentem formalem Processum, & telam judiciariam remisit ad Judices suos Ordinarios, velut adamussim testatur *Card. de Luca de jurisdict. lib.* 3. *par.* 1. *disc.* 28. *numer.* 5. ibi = *Orta proinde desuper controversia, & re delata ad S. Congregationem, post binam disputationem, cum multa hinc inde invicem pugnantia deducerentur, ac supponerentur in FACTO, quæ probationes, ac formalem Processum requirerent, & ex QUIBUS EXEMPTIONIS, VEL respective SUBJECTIONIS DECISIO PENDERE VIDEBATUR, idcirco, nulla capta resolutione,*

ad

ad normam Constitutionis SIXTI V. *CAUSA TAMQUAM EXIGENS FORMALEM PROCESSUM, ET TELAM JUDICIARIAM REMISSA FUIT AD ROTAM*; *ubi pendet*.

5 Potissimum vero statuendum id est in hypotesi, qua Contradictores nostri ad evertendam Exemptionem parant exceptionem ass. Suppressionis Innocentianæ, & respective extinctionis omnium Privilegiorum nostri Ordinis. *Certum est*) ajunt *ii in* §. 16. *suæ Informationis*) *Clausulam sublata, quibus Innocentiana Bulla prædita legitur, cogere quemcumque, ut fateatur Ordinem SS. Sepulchri, & vetusta ejusdem Privilegia fuisse abrogata, extincta, suppressa* = & rursum *in* §. 21. = *Quærimus, utrum subsistere adhuc videatur Ordo Canonicorum S. Sepulchri &c.* = Ex his autem quò magis Exemptio nostra erit plena Contentionis, majoresque involvet *Facti* inspectiones dependentes à compulsatione Privilegiorum, ab examine jurium, ab inductione Testium, à productione Documentorum, quorum pars aliqua legitur jam hinc & inde deducta in respectivis Summariis, ita indubitantius nostra Exemptionis Causa remanere debet coram Ordinario Judice A. C., ut ab eo per inspectionem omnium jurium rite cognosci, & definiri queat, ceu concludit laudatus *de Luc. de Relat. Roman. Cur. disc.* 15. *n.* 5. *part.* 2. *tom. XV.* ibi = *Ad ejusdem Sixtinæ Constitutionis præscriptum generaliter Sacræ Congregationes, una Partium reluctante, non agunt Causas contentiosas, quæ processum formalem cum probationibus hinc inde faciendis exigant, ideoque AD JUDICES ORDINARIOS REMITTI SOLENT* =, & convenit *Ursaya discept. Eccles.* 1. *num.* 39. §. 22. *tom.* 3. *part.* 1.

6 Conveniunt vel inviti & ipsi Contradictores, *agere posse Tribunal A.C. Causam Exemptionis procedentem a Litteris nostris Apostolicis, quoties eædem Litteræ Apostolicæ subsisterent.* = Non subsistere autem regerunt illi, *quia eæ Litteræ præcesserunt 'san. mem. Innonentio VIII., cujus imperio dictus Ordo suppressus fuit* = verba sunt *contrariæ Informationis* §. 21. Quid quod? Innocentiana Bulla, quæ tamen ad nos non pertinet, data fuit ANNO 1489., *contrario Summario numer. primo in fin.* & posterior Bulla Julii II., quæ confirmatoria est, *datam* habet ANNI 1505., *contrario eodem Summario num.* 3. *in fin.* Bullæ vero nostræ *Leonis PP. X.*, quæ totaliter, & in perpetuum eximunt Ordinem SS. Sepulchri ab omni Ordinariorum jurisdictione, editæ sunt LONGE POST, ANNO, scilicet, 1520., *ut in contrario Summario num.* 2., *& nostro Summario num.* 1., *&* 2. *in fin.*, itidemque assertæ suppressioni *posteriores* sunt Apostolicæ Li-

Litteræ *Innocentii XI.*, quæ signatæ ANNO 1680. præcedentes Bullas confirmant, *nostro Summario num.* 8. Si itaque Litteræ nostræ Exemptionis *non præcesserunt*, sed multum post *subjecutæ sunt* Innocentianam Bullam, plane sequitur, eas *subsistere*; Nec declinare amplius possunt Adversarii nostri, quod semel admiserunt, nimirùm, *agere posse Tribunal A. C. Causam Exemptionis, quoties eædem Litterę Apostolicæ subsistunt*.

7 Inutiliter vero Instigator Curiæ Cracovien. suis insistit Citationibus, & mandatis respicientibus Curam Animarum, inutiliterque trahit ad Materiam Conciliarem Judicium *Anni* 1764. inceptum, sed cautius non prosecutum super titulo *Præpositi Generalis*, ut Causam nostræ exemptionis ferat ad Congregationem Concilii: Quisque enim suis oculis relegat Monitorium super Exemptione expeditum coram A.C., illud expeditum fuisse leget *adversus Citationes illas à Curia relaxatas sub diebus* 9. *Martii*, 20. *Maii*, *&* 1. *Junii Anni* 1774. super prætensa *solutione Decimarum*, ac super *aliis diversis punctis*, *& Cathegoriis ibidem expressis*; ut canunt verba nostri Monitorii relegen. *in Summario num.*27. *lit.* *A.* Quisque nunc oculos habeat ad hasce *Citationes*, earumque *puncta*, & *cathegorias*, plane intelliget, eas nil umquam continuisse respectù ad Curam Animarum, sed tantum lepidas agglomerasse prætensiones circa solutionem *Decimarum*, circa Officia *Prothonotariatus*, *Notariatus*, & *Fiscalatus*, circa Constitutionem *Præsidis* Capitularis, & testimonia plurium nostrorum Canonicorum, ut patet ex tenore earumdem Citationum *in nostro Summario num.* 21 *ad* 26. Suas itaque exerceat ubilibet Conciliares prętensiones Fiscalis Cracovien.; Haud nos illi moram, metumve paramus. Est autem, ut ipse Fiscalis relinquat Judicio A. C. Gavotti definitionem Causæ nostræ Exemptionis, quæ nil commune habet cum Cura Animarum, quęque in eo Tribunali præventive, legittimeque introducta est.

8 Fatetur rursum idem Fiscalis ad bonam reversus frugem, *Tribunal A. C. adhuc hodie posse cognoscere de nostris Privilegiis*, *& de nonnullis petitionibus in Curia Episcopali factis à Fisci Instigatore circa facultatem eligendi Notarios*, *& circa alia nonnulla &c.* = At misere reponit, quæstiones suas uti pertinentes ad Sacram Congregationem, secum *trahere* debere *Causam* nostram *Exemptionis*, *quia privilegiatus trahit non privilegiatum* = sic ait *contraria Informatio* §.17. Porro quidquid esset, si Causa Exemptionis proponeretur ad moram iniiciendam Judicio, quod penderet jam in Sacra Congregatione super Cura Animarum; sique de natura esset illarum

Cau-

Causarum, quæ cognosci, & definiri possent à Sacra Congregatione; Alia quidem res est, ubi Causa Exemptionis præventivè per viam Actionis introducta est in Tribunali A. C., nullumque præstat obicem, aut præjudicialitatem alteri, & diversæ Causæ super Cura Animarum, quam æque per viam Actionis experiri intendit Fiscalis Cracovien.: Nequit enim privilegium diversæ rei, diversæque Causæ operari avocationem Causæ Exemptionis à Judice suo, eoque minus illius remissionem ad Sacram Congregationem, ad quam si foret etiam remissa, remissionis Decretum ipso Jure nullum haberetur, ut prosequitur recensita Innocentii XII. reformatio, ibi = *Quod si secus à præsenti Decreto factum fuerit, omnia Acta, resolutiones, ac Decreta sint ipso Jure nulla, perinde ac si non emanassent.* =

9 Reditque jam, qui supremum rei ponit fastigium, nempe *Consensus* semel, & bis à Fiscali Promothore præstitus in nostra Exemptionis Causa *coram A. C.*; Nec recte excipit Fiscalis, hunce Consensum fuisse impugnativum. Quis enim dixerit impugnativum Consensum, quando post præsentatum Fiscali Monitorium super Exemptione ipse comparuit coram eodem A. C. Gavotto Judice Monitorii? *nostro Summario num.30.*, & quando rursus, nulla præmissa Fori declinatoria, comparuit instantiæ nostræ, sibique obtinuit Decretum favorabile, remissivum scilicet Causæ Circumscriptionis *ad Listam Informationis* cum altera super Negocio principali? ut est *in contrario Summario num.23.*, *& nostro Summario numer.31. litt.A.*, & quando demum Fiscalis idem omnia nostra Documenta coram A.C. producta, sibi communicari voluit ad respondendum, ut liquet *ex Actis*. Hic plane geminatus Consensus quò magis excludit Animum impugnandi, eò firmiorem constituit Jurisdictionem Tribunalis A.C., quam hodie declinare piaculum esset, ut latius demonstrat *Informatio nostra §§.15.*, *& 18.*

10 Jam vero nimium videntur nobiscum asperi, & irrequieti Contradictores nostri; Quoties enim donantes Jura hæc nostra, quæ firmissima sunt pro substinenda Causa *coram A. C.*, contenti sumus, ut in omnem malam hypothesim eadem Causa committatur *ad Sacram Rotam quoad omnes, & omnia*, scilicet cum singulis Episcopi prætensionibus, jam qui huic temperamento renuit assentiri, pervicaci dominatur litis æstu. Vidimus quippe, Causam Exemptionis pendere *in Sacra Rota* cum altero Poloniæ Episcopo: Vidimus, idem Tribunal in ea contentione cognovisse aliqua pertinentia ad Curam Animarum, *nostro Summario num.15. litt.D.*, *& num.16.*, Vidimus Sacrum Tribunal semper insimul definiisse Causas Exemptionis

Re-

Regularium una cum prætensionibus Episcopi quoad Curam Animarum: Vidimus, modum hunc committendi omnes contentiones uni, eidemque Tribunali *Sacræ Rotæ* vere rectum, utilem, & prudentem fore. Addimus nunc, punctum illud *Institutionis* à Præposito nostro Generali datæ electo Canonico ad Præposituram *S. Heduigis*, de quo, urgente Cyrillo Zuchovvski, conqueritur Citatio Episcopalis *in contrario Summario num.* 8., similiter pendere indecisum *in Sacra Rota*, ut exhibent *duo* invicem pugnantes *Decisiones*, quibus titulus *Cracovien. Præposituræ*, prima *diei* 3. *Julii* 1772., & altera 14. *Maji* 1773. *coram bo. me. Riccio*.

11 Dignumque est animadversione, quod etsi Fiscalis in suis Citationibus multa involvat pertinentia ad Curam Animarum, attamen nè à longe quidem ullum affert Documentum circa *assertos defectus*, *scandala*, *&* *inconvenientia* in exercitio Curæ Animarum. Eapropter ad verificationem sui calumniosi assumpti necessum forsan erit in prosequutione Causæ, ut Curia Cracovien. obtineat Litteras Remissoriales, ut fiat examen Testium, ut formalis super iis Capitibus efformetur Processus; quæ quidem omnia, ut supra visum est, ex reformatione San. Mem. *Innocentii XII.* nequit explere Sacra Congregatio Concilii: Quamobrem si Causa Exemptionis nostræ, contrariæque ipsæ prætensiones multæ pendent in *S. Rota*, si Sacrum Tribunal, prævio compacto Processu, aliisque demandatis necessariis probationibus, rite potest una simul cognoscere, & definire Contentiones omnes; si modus iste, quem proponimus, unicuique Parti expediens, & utilis est, morari amplius non decet ad resolutionem controversiæ hujus, sed plenis manibus abjecta contaria Commissione rescribendum in omnem casum est = *Ad Rotam quoad omnes*, *&* *omnia*.

12 Contrarias suppositiones, & injurias, quæ pertinent ad merita Causæ, VEL satis refutavimus *in nostra Informatione*, VEL non est hic loci curiosiùs investigare. Id unum sat est, ut Reverendissimi PP. assueta docilitate sua *DUO* prænoscant, quæ falsissima prodeunt non, inquam, ab ore Reverendissimi Episcopi Cracoviensis de hacce contentione prorsus inscii, sed ab ore *Cyrilli Zuchovvski*: *ALTERUM* scilicet quoad ass. defectus in Cura Animarum, & *ALTERUN* quoad figuratam Jmpetrationem Præposituræ Generalis Miechovien.: Etenim suppositi excessus, quo ne in athomo quidem probantur, mox excluduntur egregio cum Testimonio eorumdem Parochianorum Oppidi Miechovien., ut *in præsenti Summario num. primo* Somniata vero Impetratio, quæ merum est Vigilantis delirium,

re ipsa excluditur tum à Capitulari, & Canonica electione Reverendissimi Principalis, de qua *nostro Summario num. 20. litt. A. & B.*; tum & à Bulla Apostolicæ Confirmationis in Dataria expeditæ secundùm Concordata Poloniæ quoad Præpositutam Miechovien, ut refert *Rigant. ad regul. 2. Cancell. §. 2 pag. 259. artic. VII.*, Hasce nunc patitur injurias Reverendissimus Principalis summo cum animi sui dolore; Cæterum, cum res fuerit ad certamen delata, plane obmutescent Detractores nostri, maximeque conticescet Cyrillus ille, quem non absre *Consocius* ipse suus appellat *Hominem dolosum, fraudolentum*, PRODITOREMQUE RELIGIONIS, *ut in præsenti Summario num. 2.*

Quare &c.

Dominicus Franci.

SUMMARIUM

Num. 1. *Ex testimonio ipsorum Parochianorum excluduntur ass. defectus quoad Curam Animarum, & administrationem Sacramentorũ.*

NOS infrascripti recta conscientia recognoscimus, quod postquam audiverimus de extraditis Citationibus ex Cancellaria Celsissimi Principis Episcopi Cracovien. Admodum RR. Presbyteris *in Conventu Miechovien.* manentibus &c., omnibus, & singulis certam, veram, & realem notitiam facimus, & præsens indubitatum damus Testimonium, in cujus confirmationem Juramentum nostrum quòlibet tempore offerimus, quod a prædictis Admodum Reverendis Presbyteris DD., & Patribus nostris Spiritualibus *nullum gravamen habeamus*, nec ab illis (alioquin recursum faceremus ad Reverendissimum Dominum Generalem) aliquas depactationes sustineamus, neque a nobis supra possibilitatem nostram extòrqueant, *cum omni diligentia Sacrosancta Sacramenta administrent*, nec sciamus, nec ab aliquo audiverimus, ut quis per negligentiam ab Illis commissam sine Sacramentis migrasset ex hoc Mundo, vel sine Baptismo decessisset, & quolibet tempore *illorum vigilantiam, & diligentiam experimur. Devotionem consueto ordine in Ecclesia absolvunt* cum omni non tantum nostrum, *qui sumus Parochiani*, sed etiam extraneorum commoditate *suis officiis Regularibus* absque minimo scandalo nostro *invigilant*. Nos, & Liberos nostros *in Fide Catholica, in doctrinis Spiritualibus*,

tam

tam concionibus, *quam Catechismis solerter*, *& ordinate erudiunt*. In quorum fidem, & robur propriis nos manibus subscribimus, & sigillum Officii Nostri apponimus. *Datum die* 26. Aprilis 1775. in Prætorio Miechovien. = Locus Sigilli = *Gaspar Paradowski Vice Advocatus* manu propria = *Casimirus Potrowski* = *Simon Kuczkowwski Scabinus* manu propria = *Laurentius Zychowicz* manu propria = *Adalbertus Pasternakowicz Scabinus manu propria* = *Antonius Stockowski Notarius ejusdem Officii Vice Advocatialis Juratus Miechovien. manu propria*.

Sequitur Legalitas in forma &c.

Num. 2. *Thomas Nowwinski, qui Consocius modo est, & Collega Cyrilli Zuchowwski, hunc appellat* Hominē dolosum, fraudolentum, Proditoremque Religionis.

Ego infrascriptus *do hanc veram*, *realem*, *& sinceram sponsionem*, & *assecurationem*, quod *CUM R. CYRILLO ZUCHOWWSKI*, *tam quam DOLOSO HOMINE*, *ET FRAUDOLENTO*, *PRODITOREQUE RELIGIONIS*, quousque cum Superioribus, & Religione non fuerit reconciliatus, & emendatus, *nullam cointelligentiam habebo &c.* Omnes ejus *Sermones*, *discursus*, *& colloquia fugiam*, *& cavebo*, *actiones ejus præteritas uti e diametro vocationi Religiosæ*, *& Votis contrarias pro posse vituperabo &c.* In quorum fidem propter majus robur hanc meam subscriptionem, & sponsionem manu propria subscripsi *anno* 1773. *die* 13. *Novembris*.

THOMAS NOWWINSKI manu propria.

Locus ✠ Sigilli.

Congreg. Signaturæ Justitiæ

R. P. D.

MAGNANI

Cracovien. Exemptionis super pertinentia Causæ.

PRO

Rmo D. Matthæo Buydecki Præposito Generali RR. DD. Canonicorum Regularium Ordinis SS. Sepulchri.

CONTRA

Rev. D. Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Cracovien.

S

Responsio cum Summario

Typis Bernabò 1775.